DISSERTATIO MEDICA 17

INAUGURALIS

DE

UTERI HAEMORRHAGIIS.

AUCTORE DAVIDE BRERETON.

PROOEMIUM.

Corpus muliebre, virilis multum dissimile, morbis quoque diversissimis implicatur. Tenella ista delicataque fabrica non accenditur quidem inflammationibus, minus etiam injuriis externis obruitur; attamen spasmis suis laceratur, profluviis vitalis, nullaque arte compescendis laticis, exhauritur. Suis igitur incommodis haudquaquam caret compages muliebris; ex quibus profluvia ista haud minima sunt. Quum autem ex diversis admodum causis originem trahant, et nos legibus hujus Academiae obsequentes, de his aliquid conscribere decreverimus, ut istae sigillatim explicentur necesse est.

Sanguinis igitur foeminis propria profluvia ortum trahunt, sive ab uteri praeparatione ad hominem gignendum quodammodo affecta; sive homunculo jam genito, ab eodem matricem male habente; sive expulso denique exuvia sua, vel ingrati aliquid post se relinquente.

Illorum primum raro est mortiferum; insequentia semper periculosa, curationem prudentissimam saepe frustraverunt. Menstrua, notandum est, signa sunt ac praeparatio uteri jam ad munus genitale valentis; secretio, scilicet, ut satis constat, de osculis vasorum infinitorum in cavum ejus patentium. Quae quidem secretio pubescenti puellae superveniens, per triginta fere cum quinque annis, plerumque sine molestia gravi aut incommodo, mensibus singulis per paucos dies effluere perseverat. Multae vero causae externae fluxum hunc intendere aut minuere valent, quin et ipse variis, et naturalibus satis casibus subsistere solet. Importuniores tantum fluxus considerare consilium est; eas scilicet quos Cullenus nominibus sequentibus designavit.

DEFINITIONES.

MENORRHAGIA.

" Dorsi, lumborum, ventris, parturientium in-
" star, dolores; menstruorum copiosior, vel san-
" guinis e vagina praeter ordinem fluxus."

" Species I. Menorrhagia (*rubra*) cruenta in
" non gravidis nec puerperis."

" ——— II. Menorrhagia (*abortus*) cruenta in
" gravidis."

" ——— III. Menorrhagia (*lochialis*) cruenta
" in puerperis."

De aliis menorrhagiae quas Cullenus definivit formis mentionem facere nullam decrevi; quoniam eas uteri affectiones tantummodo ad hominis generationem spectantes tradam, utpote qui arti obstetricae studium praecipuum, si fata sinant, impensurus sim. Nonnunquam omnino subsistunt menses, cujus rei causas suo loco reddemus; atque hoc facto universi corporis fit perturbatio, nec raro ex alia quadam corporis parte sanguinis profusio. Propago enim vasculorum sanguinem circumferens novo pondere, forsan acriore onusta

et stimulata sese omnimodis, si qua via liberari posset, intendit: atque onere, progrediente tempore, ultra accumulato, sanguis nimis exauctus per partem quampiam imbecilliorem erumpit; sive haec sit pulmo, cujus fabrica semper tenerrima, sive stomachus, membrana vasculis infinitis referta, casibus opportuna, sive membranula demum narium delicatè venosa.

Has vicarias profusiones SAUVAGESIUS * denominavit,

I. Haemoptysis catamenialis.

II. Haematemesis catamenialis.

III. Epistaxis catamenialis.

Hae licet frequentiores sint hujus mali sedes, vix tamen ulla corporis adeo robusta inveniatur, quin sanguis inde vicarius foeminae proruperit. In Actis Philosophicis Londinensibus, NO. 303, p. 2144, casus puellae annos 18 natae mirabilis narratur, cui variis subinde vicibus, e *naribus*, e *ventriculo*, ex *auribus*, e *digitis extremis*, (primum *manus*, dein *pedis*,) ex *umbilico*, ex *oculi angulo*; ex *summa undique cute*, veluti sudore, ex *media mamma*, ex vena saphaena, (qua fere sanguis pe-

* Sauvagesii Nosologia Methodica, tom. ii. p. 290. Sanguifluxus.

dibus detrahitur,) ex ambabus tum *volis*, tum ex posterioribus *palmis*, ex *mento*, ex *lingua* denique *extrema* sanguis profluit, et ex omnibus his locis intra spatium XIV dierum, nec raro praesente medico.

§ I. PROFLUVIA PRIMARIA.

I. *Menorrhagia rubra.*—Puellae nonnunquam menorrhagia rubra laborant; sed foeminae plerumque sunt adultae, nec raro matres, quae hoc malo infestantur. Quod profluvium accessurum sit, ostenditur vertigine, dolore capitis, lumborum, dorsi, tumore hypogastrii, rubore faciei, dyspnoea, horrore, pulsu citatiore atque irritabili, siti, calore cutis partium, aliquando tamen earundem frigore; animis demissis, moestis, iracundis; pluribus saltem horum signorum, paucioribusve concurrentibus. Post haec sanguis prorumpit, modo uno rivo, muliere simul membrum omne laxata; modo guttatim stillans menstruorum ritu, donec aliqua irritatio aut violentia fluxum cieverit uberiorem, metum nullam secum affert. Inter hunc fluxum, vertigines, animi defectus, convulsiones, delirium aliquando accedunt.

Foemina sibi multum timet quasi moriturae;

etiamsi aliis in exemplis, animus fortis hilarisque ad extremum usque spiritum enitens, momento extinguitur. Remediis cohibentibus, aut natura delassata manantia vasa sopiente, coagulo interim eà replente profluxus consistit; et aegra, periculo liberata, valetudine quadam, nonnunquam nova plenitudine pinguedinique fruitur. Vitalis tamen undae jactura tanta nequaquam impune ferri potest. Vultus pallet, aut, si quid ruboris adsit, genae mediae albore ingrato circumscriptae periculum minitantur. Pulsus imbecillis post exercitationem, quamvis debilitas membrorum insolita sentitur; eadem exercitatio vel mediocris spiritum accelerat. Statu forte diuturniore dorsum occupantur dolore; extrema frigent, ad vesperem aqua tumentia.

Si morbus diu continuavit, fœminam aut sterilem reddit aut abortivam, aut leucorrhoeam infert, aut cancrum denique locorum immedicabilem excitat.

CAUSAE.

Causae proximae.—Si fas sit causas proximas hodie nuncupare, aut vasculorum uteri minorum diruptio vel laxitas habendae sunt, aut actio intensa

tantum non inflammatoria haemorrhagiam quamlibet fere comitans.

Causae excitantes.—Hae sint exercitatio totius corporis nimia, concussio ejusdem, uti de loco quodam altiore delapsi; ictus, aut vis aliqua in imum ventrem impactus. Exercitatio quoque nimis diuturna aut vehemens, qualis est cursus, saltus, saltatio; animi affectus vehementiores, venus immodica, aut fluentibus menstruis admissa. Alvus ita adstricta, ut violento niso ad dejiciendum opus sit: frigus pedibus admotum, haemorrhagiam uterinam saepe excitant. Victus lautior quoque, potus roborantes, exhilarantes, qualibus cardiacorum nomine gaudent foeminae, inebriantes, ebrietas ipsa; calor nimius quomodocunque corpori vel lumbis vel locis adhibitus, cubicula nimis calentia, liquores calidi, praesertim theae et coffaeae sorbitiones. Praeter has etiam monendum est, morbum semel si adfuerit proclivem sibi reditum sedemque parare; quam ob rem, fluxus cujusvis non primi causa praedisponens jure habeatur prior impetus.

DIAGNOSIS.

Quoniam cuicunque bene valenti foeminae fluxus, de quo sermo est, semel mense descendat; jure quaerantur discrimina, quibus hic fluxus menstrualis a menorrhagia distinguatur. Huic quaestioni verbis fere Cullenianis respondeo: menorrhagiam tum subesse cum fluxus plurimis in mense vicibus quam consuevit, redit; cum diutius perseverat; quum uberior quam ex consuetudine illius corporis exundat; cum causa quavis supradicta afficiente, de novo prorumpit; cum sanguis elapsus neque male olens, neque niger, neque acris, neque non coagulabilis; rubet, in massam coit; cum foemina denique hujus causa neque bene valet, neque necessitatibus privatis aequalis est.

PROGNOSIS.

In juvene ac robusta, quae causas excitantes sine incommodo vitare potest, sanitas haud difficilis; debilitati vero, pauperi, nuptae mulierculae, cui nullum fere ex malis refugium, spes in angustiis utique est. Non quo curatio subinde

non profecerit, sed quo multo saepius omnino fallatur, aegra in leucorrhoeam, uteri cancrum, mortem decidente. Leucorrhoea atque cancer fere insanabiles videntur, sed leucorrhoea vitae parum inimica, diu sine multa injuria ferri potest. Etiamsi tamen vitam non extinguat molestam, vixque tolerabilem reddit, nec raro suspiciones gonorrhoeae, vanas quidem, sed satis probabiles, marito injiciunt, quae " irruptam matrimonii co- " pulam" disjungere minitantur.

SIGNORUM RATIO.

Vertigo, dolor capitis, rubor faciei, dyspnoea, pulsus citatior, sitis, cutis partiumque calor, proles sunt istius plenitudinis, stimuli, et conatus ad sese exonerandum vasculorum omnem haemorrhagiam comitantis et praenunciantis. Hypogastrii tumorem excitat *affluxus* sanguinis in uterum major; lumborum vero dorsique dolores a consortio inter has partes intercedente, si non vero partim a pressione uteri in nervos lumborum. Vertigines, animi defectus, distentiones, inter fluxum: cerebri vires, a compressione ex sanguine, quadam pendere notas, laedi ostendunt. Pinguedo nonnunquam haemorrhagiam consequens, debili-

tati cuidam, ad telam cellulosam adipe implendum necessariae, debetur. Alia signa debilitatis a sanguinis jactura pendent; quo nimis largiter sublato, partes pabulum et stimulum debitum non recipiunt.

CURATIO.

Ad res duas consilium curantis dirigi oportet;

I. Ne profluvium semel victum iterum regrediatur.

II. Signa quaedam mala periculum intendentia, substante fluxu, allevare.

Horum primum impleri potest, evitando causas excitantes supra dictas; eas praesertim quae morbum efficere aut valide augere solent. Si debilitas supervenerit, roborantia medicamenta intervallis danda sunt; quorum optima ferrum, cinchona, guttae acidulae. Gestatio lenis non aliena videtur, quippe quae ad cutem humores ab internis partibus derivet. Exercitatio quoque partium superiorum, frictiones, bene respondent, ut et corporis lavatio frigida: at exercitatio quaevis membrorum inferiorum, atque prae aliis ambulatio, vitanda est. Vinum praeterea, victus acrior, stimulantia quaevis fugienda erunt.

Signa inter fluxum importuniora quae animad-

vertere oportet, sanguinis jactura sunt, animae dejectio, convulsiones, delirium.

Profusio melius compescitur in positu corporis supino; cum acida simul refrigerantia ore sumuntur. Aquâ frigidâ etiam aceto conjunctâ lumbi, inguina, loca ipsa perfundi debent; astringentia quoque medicamenta ex panno iisdem circumdentur; qualia sunt acetas plumbi, sulphas aluminae, decoctum corticis quercus roboris; omnes demum mentis corporisve irritationes procul habendae sunt. Animae defectiones, cum sanguinis fluxum in haemorrhagia compescunt, nimis non pertimescendae sunt; attamen, si vitam extincturae videantur, auxilio opus erit; quod non melius afferri potest, quam aqua frigida vehementer in faciem perfusa, aut ammoniae vaporibus in nares immissis.

Si haec nihil profecerint, verisimile est vitam nunquam redituram esse. Convulsiones, utpote quae mortem ostendant, curationem frustra poscerent; cum nemo, quantum novimus paucissimae ex medicinae annalibus, has de haemorrhagia uteri perpessa unquam revaluit.

Delirium certe nunquam ostentum gratum: hic vero mite est, neque aegram ad mala opera captanda impellit: et quoniam fluxu compresso decessurum sit, parum animadversionis postulat.

Si quidem irritationes aliquae non prompte submovendae malum effecerint, opium consilio utrique opportune datum optime convenit.

§ II. MENORRHAGIA ABORTUS.

Quemadmodum abortus adeo frequenter mulieribus, adeo raro aliis animalibus accidat, nonnulli quaesiverunt: quorum alii ad menstrua tam saepe morbo affecta; ad positum corporis erectum; ad formam ovi modumve quo utero annectitur: alii vero ad luxuriam deliciasque vitae muliebris, aut animi affectus male acutos, aegre refraenandos retulerunt. Certum est foeminas rusticas aegerrime partum elidere; generosas quidem laute habitas matres familias malo saepe numero plecti; quibus perpensis, non vero absimile apparet, foeminas luxuria et situ ignavo non diffluentes, sed ad naturae normam degentes, aeque facile ac alia ex animantibus partum et servare et in lucem edere posse.

Neque tamen haec res tam facilis est negotii, quam scriptores aliqui sibi persuaserunt: cum fere nulla vitae communis actio tam levicula nominari potest, quin hi scriptores eam abortus inferendi

protinus insimulaverint: obliti nimirum quod eaedem actiones ex necesse quotidie plurimis gravidis faciendae sint, nec tamen iisdem vel oneri suo quidquam nocent. Adde, quod gravissimae saepe injuriae utero factae fuerunt, nullo tamen abortu subsequente *. La Motte, obstetricus doctissimus, mulieris casum narrat, quae sex menses gravida, *viginti fere pedes* altitudinis in uterum suum decidit, super pilulam sudis ligneae cujusdam, tamen partum haud difficulter conservavit.

Quid igitur est? Probabile videtur, quasdam ex causis dictis fortiores abortum efficere: sed pluribus in exemplis actionem quandam ignotam, morbosam, jamdudum a violentia praeterita excitatam, nec aegra ipsa observatam, malum intulisse: rem vero, seu casum, abortui proximam, forte fortuna momentosiorem, pro causa notari.

De abortu eo magis curiosi sumus, quod menorrhagia, in praesentia tractanda, hujus indicium tantum sit, aliquando comes, saepius praenuncius, neque infrequens consectatrix. Tempus autem ne male perdam, prolixius dicendo quid sit

* La Motte's Midwifery.

abortus, rei utpote omnibus notae incessum, potius causasque exponere conabor.

INGRESSUS.

Etiamsi nonnullis in exemplis, prius foemina aborsa fuerit quam resciverit; multo tamen pluribus signa quaedam non levia discrimen futurum praenunciant. Haec aliquando eadem fere ac in menorrhagia rubra, de quibus alias; dolores dorsi, lumborum, abdominis, membrorum inferiorum alternantes; sensus quasi ponderis uteri loco accedunt; micturit; tenesmo vexatur; sanguis saepe vagina profluit. Inter infantem expellendum modo dolores acuti, diuturni fatigant, modo praeter molestias supra dictas ovum satis placide delabitur; modo ovum universum mature ac integre expellitur; modo post longum tempus infans primus tum placenta sive integra, sive in particulis provenit. Abortus aut comitatur aut facit magnos morbos: menorrhagiam, leucorrhoeam, cancrum, sterilitatem, alios abortus.

CAUSAE.

Menorrhagiae causae excitantes abortum haud raro inducunt: paucae quidem aliae notantur, nisi morbi quidam, atque uteri conditiones quaedam parum intellectae. Morbi maxime abortum inducere soliti febres sunt, sive continuae, sive intermittentes, (hectica tamen nunquam neque debilitas ista quam concitat,) variola, scarlatina, dysenteria, diarrhoea, pneumonia; injuriae quaedam, velut ictus, pressura, moestitia, solicitudo. Uteri conditiones videntur esse mobilitas quaedam lubrica, pressiones ab ovo certae molis prorsus impatiens, ideoque contracta, onus non amplius tolerandum projiciens; aut positus placentae supra cervicem ejus, sic ut hac ovo dilatante, latius expansa, vascula ejus rumpantur, communio cum matre resolvitur, infansque jam mortuus alienatus, stimulo proprio expellitur.

PROGNOSIS.

Haec multum ab aetate et haemorrhagia pendet. Si junior, neque unquam eodem casu affecta aegra, probabile videtur, eam facile servari

posse. Si vero aetate provectior, cum magna sanguinis profusione sit aegra, timor major est: quinetiam, si vires recolligat, sterilis inque haemorrhagiam rubram tota aetate pronior remanebit.

CURATIO.

Aegra in lecto contineatur; at si dolores puerperi valde urgeant, ad partum liberandum protinus accingendum est. Attamen, si mensem octavum jam attigerit, dolores quidam absint, mala, quantum fieri potest, potius allevanda sunt.

Hoc efficitur cordis arteriarumque motum refraenando; aëre frigido, potu frigido, quiete; victu parco bene moderato, salibus neutris, acidis.

Ubi tamen per aegrae impotentiam, non licet partum accelerare, cum haemorrhagia nimia supervenerit, tum libra una solutionis aluminis in aqua, vel alcoholis rite aqua diluti, vel vinum rubrum per vaginam injici debet: enema amylaceum subinde per partes detur inferiores. His nihil obstantibus, aegram tamen agitare non oportet, donec adstantes quoque opis obstetricis necessitatem

viderint. Denman * auctor de his rebus celeberrimus, ovum jubet digito perforari ; aquas, tantum est discrimen, emitti : ambiguo tamen consilio, cum ex toto ignoremus quam infantis partem utero depleto comprimetur. Sin autem partum accelerari necesse sit, indetur manus genitali, digitus vero solus utero, quem inter et placentam digitum interponere periculosum est, ideoque placentam digito forare contenti sumus. Quod si post partum effectum sanguis usque dum profluat, hic, hora fere post partum accedens, fibrinae sanguine tunc scatenti debetur, quae in uterum effusa, ibique coacta, stimulat, nec raro mortem inducit. Hanc praenunciant vertigo, vomitus, caligo, tinnitus aurium, pulsus arteriarum minutus, debilis.

Exploratione facta, si manus in haec coagula incidat, tum in utero retinenda est, donec is, contractione facta, expellat. Quod per se si facere nequeat, aqua frigida abdomini perfundi, aut per intestinum rectum infundi debet. Delirio vel distentionibus supervenientibus cum parvulo pulsu, vultu collapso, frigido sudore ; si aegra devorare valeat, opio vel alcohole redintegrari poterit. Cum pul-

---

* Denman's Midwifery.

sus increverit, tum cibi alibiles, calefacientes dandi sunt: magna cura habita, ne mulier, donec mala signa omnia evanuerint, ministris permittatur.

III. MENORRHAGIA LOCHIALIS.

MENORRHAGIA LOCHIALIS, a conditione vasculorum uteri oritur nimis distentorum; atque donec haec contrahi possint, perseverat.

In corporibus debilibus exhaustis, aliquot dies perstat; robustis vero per horam unam alteramque funditur liberaliter; tum paulatim arescens paucos dies postea, multo minus rubet, denique viridescit. Rubor evanescere coepit, mammis jam lacte impletis. Post abortum quam partum legitimum minor: foeminae lactenti quam non lactenti citius adempta. Cum hoc profluvium redundat vel deficit morbum efficit.

Si foemina quoque frigori subjicitur, subito restat: venter tumet, dolet; onus ponderosum imo ventre lumbisque percipitur; pulsus durus et plenus; dolor capitis, dorsi: nausea, vomitus, spiritus difficultas superveniunt. Febris ostenta, horrores praesertim morbum praecedunt, utpote quae causae morbi non effectus sint, licet brevi intervallo effectus subsequatur; vehementes animi affectus,

victus minime idonei, praesertim liquores meraciores.

Diarrhoea, aliave profluvia, purgationem hanc salutarem cohibere videntur, quo propius partui suppressio, eo periculosior; nonnunquam tamen se currisse, signum est bonum.

CURATIO.

Quum vero substiterit fluxus iste, nulla medicamina, quantum adhuc scivimus, *reducere* possunt. Si febrem quandam suppressio succenderit, aegra plena, pulsu firmo sit, tunc sanguis mitti solet. Emetica saepe bene respondent cum iterantur. His diaphoretica, corpus laxantia succedere debent: at si molestia circa uterum ipsum nimia sit, vesicatorium e regione superimpositum utile est. Cathartica nonnunquam reperiuntur utilia, veluti cum stercora recto cumulantur; cum eo tamen, ne nimio de alvo profluvio fluxum utero salutarem restinguamus. Ad hoc propositum infusum sennae cum manna oleumve ricini, sic ut duas tresve dejectiones emoliantur, satis commode respondet. Tunc ad diaphoretica, laxantia refugiendum est. Lac denique mammis profluens, huic ex natura vicarium est. Animus fere demis-

sus sublevandus est, bona spes afferenda; vana tristitia leviter, ut suadent, objurganda.

§ II. PROFLUVIA VICARIA.

1. *Haemoptysis catamenialis.* Inter frequentiores menstruorum suppressorum eventus haemoptysis rite annumeratur; atque locum sibi primum vindicat, non minus a frequenti aggressu quam periculo cui subjicit aegram. In puella forsan robustiore nulla labe avita contaminata, sanguis inde erumpat sine ulla graviore injuria quam mera pro tempore depletio afferet. At aliis in corporibus res longe aliter se habet. Strumosis enim injuriam tantum infert, ut tubercula pulmonibus excitat, in mortem post longam valetudinem desitura. Nihil ideo magis curari debet, quam ne talis casus altero mense revisat; quod maxime perfectum reddere per menstrua, si fieri potest revocanda conamur. Aliquando evenit, ut his rite respondentibus morbus pulmonum perseveret, aegra quotidie fiat macilentior. Menstrua denuo subsistunt, et ipsa foemina omnimodo fatigata mortalitatem explet. Quum hoc accidit, mors non menstruis cessatis, ut fieri solet, tribuenda erit, quae debilitati reverà ac ruinae quasi corporis non

amplius ea aliasve secretiones sustinere valentis, jure debetur.

II. *Haematemesis catamenialis.*—Si quando menstruis suppressis, sanguis grumosus cibo commistus e ventriculo fertur, tunc fluxus creditur esse vicarius. Utcunque manifestum sit sanguinem ex superficie tam ampla facile, obque mille causas prorumpere posse, utero interim, functionibusque suis prorsus intacto; attamen, cum experimenta saeculorum omnium de consortio hujusmodi consenserunt, rationalis prudentisve medici non dubitare esset. Morbo semel inducto, accurate perspecto proximum est, deliberare de curatione. In omni morbo secundario, primarius ante debellandus est, quam is curari queat: atqui hoc exemplo cura praecipua sedi doloris adhibenda est, ne stimulus scilicet novi cibi, aut vomitio materiae alienae morbum exasperet, stomachum ipsum malo insanabili afficiat: neve insulsa, denique inepta fere medicamenta, vice mali per se tolerabilis, calamitatem prorsus intolerabilem, nec ulla arte tollendam inferant.

Quomodo autem menstrua naturaliter fluere medicina cogat, supra diximus; adeo fuse quidem, ut hic vel summatim repetere supervacuum est.

III. *Epistaxis catamenialis.*—Haud raro circa primum menstruorum aggressum, atque in plenis circa tempus quo prorsus valedicunt, res satis frequens est hic fluxus ex naribus. Antiquissimus auctor HIPPOCRATES * idem notaverat, et nasutissimus Gallus PARAEUS † non semel, nec non MESOPORITUS ‡ de quo historiam jam supra excerpsimus.

Non aliter ac caeterarum, hujus curatio in duas se dividit partes,—profusionem praesentem sistere, menstruorum quam primum possumus fluxum restituere. Quod ad primum tamen consilium, non temere exequendum est; cum modicus sanguinis fluxus multum levat plenitudinem quâ corpus nunc laborat, adeoque, ni vita aut vires multum periclitari videantur, nihil moliendum est. Aegra tamen nimis languente, cursus sanguinis refraenari debet; nares comprimendae, facies aqua gelida perluenda, aliaeve corporis partes.

Quin et ubi foemina ea forma sit, qua impetus quivis in caput periculosus fit, reditus ejus impediri debet exinanitionibus idoneis, quales sunt purgationes alvi variae, sanguinis missiones, exulcera-

* Hip. Aph. v. 33.

† Op. Om. de Utero.

‡ Phil. Trans. NO. 303.

tiones locis convenientibus institutae. Si prior aliqua evacuatio male cessaverit, atque hanc turbam dederit, restitui debet cum sine noxa fieri potest.

Tempus ignave tereremus, si hic post quod supra explanavimus, curationes ad menstrua restauranda idoneas denuo iteremus; melius erit cum scopum optatum jam attigimus arma suspendere, venia ut decet precata, si quae male apta calamus effuderit.

FINIS.